

Atq; huic Imperatoris sententiæ παμψικφει suffragantur & sub-
scribunt Censoria Sapientum Decreta: mandant idipsum Rescri-
pta & Diplomata Principum gravissima: jubent Constitutiones
Ecclesiasticæ Sanctiores; præcipiunt Senatus Consulta: volunt
Clarissimarum civitatum Legislatores.

Multis sæpe glaucoma ob oculos objectum fuit istis nescio quo-
bus noviter inventis infundibulis, quibus cum paucos menses quidam
deceptores (Præceptores volebam dicere) nescio quam Eruditio-
nem arroganter & ἀποφωλιως, polliciti fuerunt, Vitreum vas
cum vulpeculâ Æsopicâ à Ciconia elusa, tantum lambentes, pul-
tem ipsam non attingentes. Solidum sit, quodcumq; subest. Quem-
admodum enim semina summo solo sparsa, celerius quidem se ef-
fundunt, sed fundi pinguedine destituta, concidunt illicò, & col-
labascunt: sic puerorum mentes superficiariâ hâc, & verbosa in-
stitutione delibutæ, multa spondent, pauca præstant. Videntur
hi similes esse Medicis, qui parum docti languidos multos officiosè
necant.

Cæterùm de hoc Zetemate, quare videl. publicus Pædie
cultus vel maximè in Republicâ vigere debeat, & cur satius sit Libe-
ros foris, quàm domi ad Sacra Minervæ duci, eorumq; ita ad me-
liora commasculare indolem, modo per occasionem, & κατ' ἀ-
φορτισίω, quum Discipuli ipsi hoc thema in præsens sibi, in
quo ingenij amœnitates, vel ut Scaliger ait, felicitates periculi
tarentur, & memoriæ elegantias exercerent, elegerint, officij &
conscientiæ ratione iussus, nonnulla Prudentum Placita, adumbra-
ta potius & adfecta, quàm elaborata & perfecta, adeoq; Phi-
losophico magis schemate incedentia, quàm oratoriarum elegan-
tiarum emblemate, aut verborum lenociniis superbientia, edisser-
tabo, publicam informationem, si ea sit à fideli & eruditâ manu,
privatâ meliorem ostensurus. Veritatem produco hic in prosceni-
um, quæ quum sit Virgo castissîma, non vultu cerusâ fucato, aut
cultu mangonizato, sed ad honestatē exquisitio, introducenda est.

Quia Educationis forma excellentior est atq; constantior, 1. Ratio ab ipsarum
quæ consistit in Sapientiâ Magistratus, & consensu totius civitatis, Scholarum condi-
tionem. quàm quæ ab unius alicujus, sæpè improvidi, iudicio dependet.

A 2

Quia

Iul. C. Scal. de Sub-
til. ad Cardan.
Exerc. 308. pag.
999.